



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fvldensivm Antiqvitatvm Libri III.

Brouwer, Christoph

Antverpiæ, 1612

Cap. V. Cœmeterij veteris ecclesia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39712

Post annos non paucos, à rectoribus loci illius ecclesia augustius edificata, cum futura consecrationi prepararetur, Aegil Abbas cum licentia Aislulphi Archiepiscopi, ossa eius transtulit, & in Australi porticu, iuxta memoriam S. Ignatij martyris posuit, vbi sepulchro condita miraculis viuit & gloriâ.

Surius 28.
Septemb.

S. Lioba trāf-
lasio.

Verùm, & eodem Rudulpho teste, huius virginis veneranda ossa à Rhabano inde in ecclesiam montis S. Petri translata sunt, vbi hodieque in cryptoporticu cenotaphium extat, cum virginis memoriâ, præsentis sæpè & prodigioso pellendis infantium morbis auxilio: sed recepta demum in securiora, nunc temporis in ædis primæ sacratio tumbæ inclusa asseruantur. Et quia Rhabanus in basilicam Fuldensem ornamenta quoque sua congeffit, satis habeam monuisse multiplicis elegantie turritum opus, eo loco ab ipso collocatum, quo S. Bonifacius olim quieuit: illudque illustrasse non tam pretiosis auri argenti que metallis, quàm nobilibus Diuorum arcis & lipfanothecis.

Lib. de gestis
Rhabani.

S. Lioba me-
morta in mō-
te S. Petri.

CAPVT V.

De cœmeterij veteris Ecclesiâ.

ABIERANT anni circiter quatuor à basilicæ primariæ nouâ structurâ, quando Aegil Abbas aream satis amplam in colle Septemtrionario, cœmeterio & monachorum sepulturis descripsit; & in eâ operis elegantis ecclesiam, figurâ rotundâ, construxit: cuius ad hanc diem, licet obruta vetustate vestigia, in S. Michaëlis æde supersunt. Structuræ genus fuit eiusmodi, vt à cryptâ subterraneâ moles assurgeret arcibus circumdata; mediamque columna fulciret vnica. Supra cryptam hanc fabrica atollebatur octonis in orbem columnis. Huius corona fornix, quem efficiebat grande saxum pro vertice parietibus summis incumbens. de quo in Poëmate suo Candidus:

Ecclesia ro-
tunda apud
D. Michaë-
lu præpositu-
ram.

*Fratrum consilio paruum quâ corpora fratrum
Hinc defuncta iacent (deuotè namque) rotundam
Condidit ecclesiam; latitans quâ peruia crypta
Sub tellure iacet, vnâ quæ ritè columnâ*

P 3

Inci-

ovveri
riquitate.
de nses.
IV
B

Incipit, ac supra octonis subiecta columnis

Perpulchrè in summo lapide concluditur vno.

Myſterium huius fabricæ Candidus aperit : nam viui templi Chriſtianorum eccleſiæ quamdam imaginem ſibi proponens Aegil, vnicâ columnâ totam ſuſtinente molem, Chriſtum Dominum noſtrum ſignificare voluit ; cui ceteri quidem tâquam columnæ firmiùs innexi, ſi modò virtutum actionibus iis magiſtro ſuo ſe commendarent, quas octo beatitudinum inſigni præconio Chriſtus ipſe complexus eſſet. Porrò opus vniuerſum, vno deinde ſuperimpoſito ſaxo conſummatum dediffe; quo memoriam poſteris refricaret, illum, qui cæleſtium munerum fons & auctor opus bonum inchoaſſet, eundem & in cælis id perfecturum, non ſimplici quadam beneficentiæ gratiâ, ſed magnâ quadam & vberè bonorum omnium exaggeratione, quæ per orbis figuram adumbrata. Ceterùm Haiſtoſum Moguntinum Archiepiſcopum, cùm pro muneris ſui conditione Thuringiam obiret, anno DCCCXXII. hanc ruruſ eccleſiam S. Michaëli Archangelo, cuius titulum adamaſſe S. Bonifacium liquet multis argumentis, dedicaſſe perhibent, vñà cum tribus altaribus, quæ Aegil indidem erexerat. Conſecrationis memoriam & altarium epigraphas Rhabanus, teſte Candido, ſic deſcripſit:

*Haiſtoſphus
Archiepiſco-
pus dedicaſ-
ſe hanc eccle-
ſiam S. Mi-
chaëli.*

Deſcriptio Eccleſiæ dedicatae, quam cœmeterium
vocant Hrabani magiſtri.

ANNO INCARNATIONIS DOMINICAE DCCCXXII IN-
DICT. XV. DEDICATVM EST HOC CYMITERIVM AB HEI-
STOLFO ARCHIEPISCOPO MOGVNTIACENIS ECCLESIAE.
MENSE IAN. XVIII K. FEB. IN HONOREM S. MICHAELIS
ARCHANGELI, ET S. IOANNIS EVANGELISTAE, S. AVN-
DI MARTYRIS, ET S. AMANDI CONFESSORIS, ET ALIO-
RVM PLVRIMORVM SANCTORVM MARTYRVM ATQVE
CONFESSORVM CHRISTI.

*Orthogra-
phia alludit
ad καταγρά-
φον.*

Verſus eiufdem.

*Hoc altare Deo dedicatum eſt maximè Chriſto,
Cuius hic tumulus noſtra ſepulchra iuuat.*

Pars

Pars montis Sinai, Moysi & memoratio digna

Hic Christi Domini est, & genitale solum.

Hic Michael Princeps; Domini symmysta Ioannes,

Victoresque foci tres simul & pueri.

Privatus Martyr, pariter & Habundius ipse

Suscipiunt vota, atque Deo referunt.

Sulpitius Præsul, simul & Confessor Amandus,

Hic monachus Mammæ, hic ouat & Simeon.

Cum quibus hic semper votis adfiste, precamur,

Virgo sacrata Deo martyr Anastasia.

Item eiusdem.

Hic Anianus adest, martyr Desiderius atque

Rex Sisemundus ouat Genesiusque simul.*

Tu quoque Christophore nostris pie mentibus adfis,

Cumque tuis sociis ipse iuuato preces.

* Sigimundus

Item eiusdem.

Paulinus præsul Brisius quoque, Perpetuusque*

Sanctus & Esidorus, Martialisque pater,*

Hanc aram meritis semper viuacibus ornant,

Adfistunt precibus, quas pie quique dabunt.

* Brixius

* Esidorus,

Tomo VI. lectionis antiquæ, reperio claram huius cœmeterij consecrati memoriam in Martyrologio Rhabani ad XVIII. Kalend. Februarij: *In monasterio Fulde dedicatio ecclesiæ S. Michaelis in cœmeterio fratrum.* At trisæcli interuallo, opus nouum (à clade an ruinâ, non proditur) huic Aegilis structuræ succreuit; quo templi huius quantum fuit, à* Volramo Mindensi Episcopo dedicatum de nouo, cum quinque altaribus humi, sublimi positis; conditisque Sanctorum lipfanis in Christi Domini cruce & sepulchro. Verùm in hoc opere, vt ipsa quoque ruderæ testantur, antiqui templi nitor & venustas non reuixit. Conseruata tamen huius dedicationis epigraphæ:

* Volmarus
hic Kranzjo.

* Sic numerant, quibus
VVolchmarus & Bardo
noti.

De Volramo,
aut Volmaro
Albert. Kranz. Me-
trop. lib. 5.
cap. 25. & 35.
vbi de eius
schismate.

ANNO INCARNATIONIS DOMINICAE MXCII INDICATIONE XV. DEDICATA EST ECCLESIA IN CIMITERIO IIII NON. DECĒBRIVM. ROGANTE HVIVS LOCI *XXVII ABBATE RVTHARDO. XVIII REGIMINIS EIVS ANNO A FOLERAMO MINDENSI EPO IN HONOREM DN̄I N. IESV XPI

CAPVT VI.

De secundâ reparatione Fuldensis Basilicæ Hadamaro & Verinhario Abbatibus, & eiusdem labe Ehrloffo Abbate factâ.

*Hungarorū
irruptiones.*

*Lambert.
Contract.
Regino,
Marianus.*

*Fuldensis ba-
silicæ incen-
dium.*

TRISTIA inde & peracerba, imperio Germanico imposita vulnera, ab immani Hungarorum gente; quæ tamquam humanitatis omnibus exsoluta vinculis, per crebras irruptiones, Alemanniæ, Franciæ, Thuringiæque prouincias eâ feritate incurfabat, vt obuia quæque ferro flammaque obteteret. Iam tum sæculo Christi ineunte nono, iteratis cædibus Thuringiorum ducum, qui fortiter eorum barbariem oppositu corporum excipiebant, noui hisce locis terrores additi; anno quippe Domini DCCCCVIII. Luitpoldi Ducis, mox sequenti, Burchardi occisione se cruentatunt. Hinc inter magni Ottonis vix adulta scepra, turbatis iam rebus, vbi Boij ac Sueui, hac pænè populationis procellâ obruti, Fuldam vsque penetrant, omnia humana diuinaque inimico animo proculcantes. Degebat Otto tum Herolfesfeldiæ Abbatîâ Fuldensi geminâ, & itineris diei non totius interuallo apud Fuldam amnem ab hac nostrâ dissitâ, quando monasterium hoc cum ipsâ basilicâ accepit, luctuoso periisse incendio. Memorant tristem hunc casum ad annum DCCCCXXXVII. veteres Chronographi: neq. tamen igni hostili an fortuito basilica conflagrârit, satis explicant. Exustam quidem plerique consentiunt, quo tempore Hunni Buchoniam persultantes, Fuldæ, vicinisque locis, magnam vtique vastitatem & solitudinem importabant. Et priuatis quoque litteris annotatum, de cælo fuisse tactam. Atque *hic ille famosi templi interitus*, quem recolis in Hadamari Abbatîs præconio, à Witichindo Saxoniarum rerum scriptore litteris proditum. Et Hadamarus sanè instaurati templi simul ac monasterij, maioreque splendore cumulati reportauit ingens decus;